



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Qui sunt fructus humilitatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

humiliasti me. Non oportet respicere in illum, qui cōtumelias profert, sed in Deum, qui hoc sæpè ordinavit ad humiliandum nos, vt sic nobis malediceretur.

Ioan. 18. Sic iubet Petrū gladium mittere in vaginā, Nam inquit Calicē quem dedit mihi pater, non vis vt bibam ipsum? Sic ibant gaudentes apostoli, quoniam digni sunt habiti pro nomine Iesu contumeliam pati, Act.

Gradus 3. 5. Tertius gradus est, vilia officia non recusare. Lauit Christus pedes Apostolorum suorum, Ioann. 13 & Lucæ 22. Ego in medio vestrūm sum, sicut vnus ex vobis. Sic 1. Reg. 25. cū Abigail audiret quòd Dauid cam vellet ducere in vxorem, dixit: Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei. Qui ergo verè humilis est, non recusat subesse maiori, nec se præfert æquali, immò nec minori recusat subesse. Est igitur pessimum vitium hominis, superbia, vel amor sui ipsius, iactantia, inanis gloria, & ambitio, quam expressissimè prohibet scriptura Apostolica Gal. quinto. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

3. Tertiò, multi boni fructus sequuntur humilitatem, & primò, quòd tales accipiunt gratiā Dei. 1. Pet. 5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiā. Sic cantat virgo gloriosa Lucæ 1. quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: virginitas parū profuisset ei, nisi & humilitas coniuncta fuisset: contra superbas virgines & mulieres, amat Deus humiles: Deindè Deus mysterium sui sancti Euangelij, quòd per Christum accipimus remissionem peccatorum & salutem æternam, reuelat humilibus, & illis dat gratiam Spiritus sancti. Mat. 11. Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et 1. Corinth. 1. Infirma mundi Deus elegit, vt confundat fortia, & 2. cap. inquit: Loquimur



mur sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius seculi cognouit. Tertio, humilitas facit maiorem in regno cælorum, id est, in Ecclesia præsentis. Mat. 18. interrogant discipuli, quis sit maior in regno cælorum: & aduocans Iesus paruulum, statuit in medio eorum &c. ideo qui fuerit humilior in terris, hic maior erit in cælo. Quarto, humilium orationem Deus libenter exaudit. Vnde Iudith. 9. Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. & Psal. 101. Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. vltimò humiles saluantur, & nullus superbus ingreditur cælum. Psalm. 33. Humiles Spiritu saluabit, & Matthei quinto. Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, &c.

## CAPVT IIII.

## ARGVMENTA.

1. *Quid sit Eleemosyna hominis Christiani.*
2. *Quomodo dandi vel eroganda.*
3. *Quid mereantur coram DEO.*

**P**rimo, Eleemosyna græcè, latinè misericordia dicitur: & est aliud nihil Eleemosyna, nisi iuuare pauperem: & non dicitur solum de portione panis, quæ datur mēdicis antè fores, sed de omnibus beneficijs & bonis operibus erga proximum: sic remissio offensæ dicitur Eleemosyna. Luc. 6. Remittite & date, & remittetur & dabitur vobis: Dare igitur & remittere, sunt duo opera misericordiæ. Hoc opus prædicat scriptura inter alia opera exteriora vt potissimum. Sic Christus Mat. 9. Euntes discite quid sit, Misericordiã volo, & non sacrificium, Osee 6. Nec oratio, nec munus altaris Deo placet, nisi reconcilia-